

RUSTICUS<sup>1</sup> HELPIDIUS DOMNULUS († 501/502)

## CARMINA IN HISTORIAM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

## EVA A DIABOLO SEDUCTA

PL  
62, 543

Evae, viperea, vetitum decerpere pomum  
Invidus, arte parat, tantae quae nescia fraudis  
Credidit infelix socio peritura marito.

1471

## ANGELI AD MARIAM ADVENTUS

Angelus illaesum Mariae per somnia Ioseph  
Connubium servare monet: hic dote repleta  
Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.

## GENNADIUS Massiliensis († 492/505)

## EPISTOLA DE FIDE

PLS  
III, 724

[...] Filius ergo Dei, qui dicitur Verbum Dei et sapientia Dei, carnem adsumpsit ex virgine Maria, ut sicut vero ex Deo Patre est genitus verus Deus, ita fieret ex homine verus homo; non tamen in his duabus naturis duas habens personas, sed una persona Deus et homo. Filius Dei unigenitus verus et perfectus Deus, verus et perfectus homo, non adoptivus, neque putativus, sed verus et proprius filius Dei. Natus est ergo Dei filius ex virgine Maria, non per hominem, id est ex viri coitu, sed per virtutem Spiritus sancti conceptus ex virgine, ut ait ei angelus Dei: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum et caetera. Concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*<sup>2</sup> Ait autem Maria ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>3</sup> Et dixit ei angelus: *Spiritus \* sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et quod nascetur ex te, sanctum vocabitur et est filius Dei.*<sup>4</sup> Et ita natus est ex virgine Maria verus Deus et verus homo cum anima rationali et carne cum sensibus suis; per quos sensus veros in passione et ante passionem carnis dolores sustinuit, et in eadem carne mori dignatus est pro redemptione mundi, permanens in divinitate impassibilis.

1472

\*725

<sup>1</sup> Vel Rusticius (Clavis 1506).<sup>2</sup> Lc. I, 28, 31.<sup>3</sup> Lc. I, 34.<sup>4</sup> Lc. I, 35.